



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 220. An aliqua attentio interna requiratur ad Horas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

defigat cogitationes nec seriò applicet animum: Nec tenebitur quærere locum opportuniorem vel exspectare tempus liberum ab istis, quæ perfectiorem attentionem impediunt, uti dicetur n. 1344.

1339 §. VI. Si exercens actionem externam non advertat per eam impediri attentionem internam, non est opus postea quidquam repetere, *Regin. Sot. Nav. Tol. Valent. Bonart. Diana* p. 5. T. II. R. 30. *Gob.* n. 820.; puto tamen id intelligendum esse, si actio sit de se compossibilis cum attentione interna. Peccat autem, qui eligit locum distractionibus valde expositum, v. g. forum publicum, aut locum, ubi est frequens concursus, clamor aut strepitus profanus hominum, aut ubi habentur clamoræ disputationes, *Bonac. de Horis* d. 1. q. 3. p. 5. *Castrop.* T. 7. d. 2. p. 4. n. 7. *Stoz* l. 1. p. 3. n. 414.

1340 Q. 220. *An aliqua attentio interna requiratur ad Horas.* *R. Ills.* t. 5. n. 26. & *vindex Gobati* p. 2. prop. 7. putant non esse locum huic quæstioni, quia cum satisfieri non possit nisi actu humano orationis, oratio autem talis requirat intentionem orandi adeoque attendendi saltem superficialiter, sive ut verba bene proferas, inferunt cum *Suar. de Oration.* l. 4. c. 26. n. 5. & 13. certum esse, quod ad satisfaciendum requiratur aliqua attentio interna: & hoc est, quod insinuavimus n. 1332. Hinc volunt quæstionem sic proponi, an recitans Horas cum distractione voluntaria satisfaciât præcepto: sed cum omnes ferè AA. quæstionem discutiant in terminis, quibus eam proposui, & pro eodem in ordine ad hanc quæstionem sumant, non attendere internè, & distracti voluntariè, utemur modo loquendi eorum. Itaque aliquam attentionem internam requiri docent *S. Th.* aliique valde multi, quorum 37. enumerat *Diana* p. I. t. 12. R. 2., & *Th. Hurt.* enumerat 50., teste *Neuff.* de *Horis* d. 9. n.

15. E contra S. Anton. & alii plures quàm 24., quos enumerant Diana suprâ & Moya T. I. tr. 2. d. 2. q. 1. n. 9., ad quos accedunt Lugo de Euch. d. 22. f. 1. n. 25., Mendo d. 7. q. 3. Gob. t. 5. n. 821., negant requiri, ita ut utraque sententia sit auctoritate firmata: & plurimi etiam ex AA. primæ sententiæ fatentur secundam esse omnino probabilem & tutam. Hic expendemus, pro qua sententia sit præcipuè ratio intrinseca. Qui affirmant requiri aliquam attentionem internam, duplicem ineunt viam, aliqui ideo requirunt, quia putant essentiam orationis non posse consistere sine aliqua attentione interna: alii ideo, quia quamvis permittant essentiam orationis posse consistere sine attentione interna, tamen putant hanc esse pro Horis specialiter præceptam ab Ecclesia: utrumque fundamentum est examinandum: itaque sit,

Q. 221. An aliqua attentio interna requiratur ad essentiam orationis. R. Affirmare videtur S. Tb. in 4. d. 15. q. 4. a. 2., sed 2. 2. q. 83. a. 13. docet solam intentionem esse de essentia, non autem attentionem: affirmant tamen de essentia orationis esse, Nav. Sot. Caj. Silv. Caspens. Marchant. Az. Suar. Vasq. Less. Sanch. Laym. Ardeck. Sporer aliique plurimè citati à Diana p. I. t. 12. R. 2. & p. 3. t. 4 R. 101. Rationes sunt, 1. quia Oratio definitur à S. Damasc. elevatio mentis in Deum. 2. Si non requireretur ulla attentio interna, non esset ratio, cur voluntaria distractio jure divino & naturali prohiberetur. 3. Per prolationem verborum illius, qui intendit orare, sed nullam attentionem habet, offenditur Deus, ergo illa non est vera oratio nec cultus Dei. 4. Sequeretur, quòd aliquis posset ejusmodi præceptis satisfacere per solam simulationem.

E contra ad essentiam orationis nullam requiri atten-

1341